D. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICA,

De

VERMIBUS IN HOMINE,

Facultatis Medicæ conſenſu

In Academia Lipſienſi

Publicæ diſquiſitioni ſubjecta,

PRÆSIDE

JOHAN-RUPERTO SULTZBERGERO, Gräzenſi Styro, Phil. & Med. D. ac Profeſſore Chirurgiæ Publico.

RESPONDENTE

JOHANNE MICHAELE, SUSATENSI Weſtfalo, Med. Candidato.

Ad diem 14. Auguſti, horâ locoq; ſolitis.

LIPSIÆ,

Excudebat GREGORIUS Ritzſch.

Anno M. DC. XXVIII.

Ampliſsimis, Prudentiſsimis, Conſultiſsimis, multoq́ rerum uſu Excellentiſsimis VIRIS,

Dn. GOSVVINO
Dn. DITHMARO } MICHAELS,
Dn. MICHAELI

Inclytæ Reipublicæ Suſatenſis Conſulibus & Proconſuli meritiſsimis ſpectatiſsimisq́;,

Cognatis, & Levano, ſuis perpetuâ animi reverentiâ colendis & amandis,

In debitæ obſervantiæ indicinam

D. D. O.

JOHANNES MICHAEL.

Σὺν Θεῷ.

THESIS I.

QUanta aliàs hominis prærogativa fuerit præ reliquis animalibus, non arguit tantùm animæ, à DEO quippe inſufflatæ(a), præcellentia, ſed & mira corporis conformatio, à providâ Naturâ eò elegantiùs (b) homini, magisq; operosè concinnata, quò curioſiùs eandem cuilibet animantium, ſecundum animi mores, corpus quoq; (c) accommodâſſe cernimus.

(a) Gen. 2. v. 7. (b) Riolan. anthropogr. lib. 1, c. 1. (c) Gal. 1. de uſu part. c. 21. & lib. 13. c. 11. & 6. adm. anat. c. 1.

2. At hæc ipſa humanæ naturæ ſublimitas, corporis certè reſpectu, vah quantum dejicitur iterum & obſcuratur, ſi innumeros illos diverſiſsimosq; morbos cogitamus, homini præ reliquis animalibus ſuſtinendos, de quibus optimum ferre queunt teſtimonium, qui quotidiè cum iiſdem congrediuntur, perpetuiq; ſunt humanæ miſeriæ ſpectatores, Medici.

3. Et, ut reliquas taceam calamitates, certè deplorandum eſt, generari in homine, non in ſalutem ipſius, ſed potiùs in perniciem, imò totalem ſæpius internecionem animalia πολύμορφα, quandoq; etiam tàm monſtroſa, ut, niſi tanta foret Scriptorum fide digniſsimorum autoritas, credi vix poſsit, ex homine talia generari.

4. Depinxit (a) Paræus ex Levino Lemnio monſtrum quoddam ab humano utero excluſum, roſtro adunco, longo teretiq; collo, oculis vibrantibus, caudâ acumi-

natâ, eximiâq; pedum agilitate, quod egreſſum ex utero totum domicilium fremitu ſibilisq; replevit, & latebras quæſivit, donec à præſentibus mulierculis ſuffocaretur.

(a) *lib. 19. Chirurg. c. 3.*

5. Idem ex Jouberto narrat, duas mulieres Italas eodem menſe monſtroſos partus excluſiſſe, quorum alter murem craſsiorem caudâ carentem, alter formam & craſſitiem felis repræſentaverit; utrumq; autem monſtrum colore atro ſtatim poſt excluſionem in altum erupiſſe parietem, eidemq; tenaciùs adhæſiſſe.

6. Non dicam hîc de Scorpionibus, quos ex frequenti odoratu herbæ baſilicæ in capite generari poſſe, ſcripſit (a) Hollerius: nec de ſerpentibus, lacertis, bufonibus, anguillis, millepedibus, ſcarabeis, erucis, ranis, muribus, & multis animalculis, inſectis, ac vermibus aliis monſtroſis, ex homine generatis & excretis, quorum exempla rariora ſunt, ac prodigioſa, congeſta tamen fideliter à Joh. (b) Schenckio, Marcello (c) Donato, Ulyſſe (d) Aldrovando, Paræo (e), & aliis.

(a) *lib.* 1. *de morb. intern. c.* 1. (b) *lib.* 3. *obſerv. med.* (c) *lib.* 4. *hiſt. mirab. med. c.* 26. (d) *lib.* 6. *de inſect. c.* 2. (e) *lib.* 19. *c.* 3.

7. Mentionem ſaltem nunc faciam illorum vermium, quorum proventus frequentior eſt, nobiſq; familiarior, nec tàm monſtroſus, ut & illi, ſi non mortem, ſaltem ſæva ac horrenda ſæpius inducant ſymptomata: (a) epilepſiam, (b) opiſthotonum, (c) catochum, (d) inſaniam, (e) cardialgiam, (f) palpitationes cordis, (g) pleuritides, (h) febres, (i) tuſſes, (k) atrophiam, (l) lipothymias, (m) bulimum, (n) dolores colicos, &c. imò quòd nonnunquam (o) ventriculum, (p) inteſtina, umbilicum & inguina perforent & exinde foràs (q) erepant: nec tacendum hìc eſt, quod refertur de quodam Italo, qui ex vermibus, quaſi

Dæmo-

Dæmonio obſeſſus, linguam germanicam, quam anteà nunquam callebat, pulchrè locutus, poſteà depulſis vermibus tàm morbo liberatus, quàm linguæ germanicæ uſu ac ſcientiâ iterum privatus eſſe ſcribitur; prout hanc hiſtoriam oculari teſtimonio Eraſmi Roterodami Cardanus ([r]) comprobat.

(a) *Foreſtus lib. 10. obſerv. 65.* (b) *Trincavel. lib. 9. de cur. morbor. c. 11.* (c) *Alex. Bened. lib. 1. de curat. morb. c. 26* (d) *Beniven. c. 100 Exemp. med.* (e) *Caſp. VVolfſius de obſerv. propr.* (f) *Foreſtus lib. 17. obſerv. ſchol. 6.* (g) *Gabucin. c. 13. lib. de lumbric.* (h) *Foreſtus lib. 7. obſerv. 35. & 36.* (i) *Beniven. c. 77. de abdit.* (k) *Foreſtus lib. 21. obſerv. 29.* (l) *Pedemont. lib. 1. de ſecret.* (m) *Alexand. Trallian. lib. 7. c. 4.* (n) *Foreſtus lib. 21. obſerv. ſchol. 31.* (o) *Petrus Apponenſ. diff. 101. conciliat.* (p) *Thomas à Veiga comm. ad c. 5. lib. 1. de loc. affect. Fabr. Hildan. cent. 1. obſerv. 59.* (q) *Hollerius lib. 1. de morb. intern. c. 54.* (r) *lib. 8. de varietate c. 43.*

8. Quòd ſi itaq; mortuorum cadavera à vermibus deformari ægrè tulerunt veteres, ut apud Poëtam de ([a]) Achille, nec non de Andromache ([b]) Hectoris uxore legimus: quidni nos viventium potiùs corpora à vermium inſultu ac ſævitiâ præſervare ac liberare annitamur? quod commodiſsimè fieri poſſe confidimus, ſi totam vermium hiſtoriam Medicam pauló accuratiùs conſideremus.

(a) *Iliad. T. v. 26.* (b) *Iliad. X. v. 509.*

9. Dicuntur vermes à vertendo, aut verrendo, teſte Iſidoro, quaſi vertentes aut verrentes, quia in multas partes ſeſe vertunt ac torquent, dum repunt; vel quia verrunt, h. e. ut idem exponit, ad partes oppoſitas ſeſe trahunt. *Etymologia vermium.*

10. Mercurialis ([a]) differentiam, cum Feſto, conſtituit inter vermes, & vermina, ſeu verminationem, & vermes ſcribit propriè animalcula vocari, quæ & inter ipſa viventium & terræ viſcera generantur; vermina autem inteſtinorum dici dolorem, qui Græcis στρόφος vocatur; & verminationem torſionem. Ulyſſes ([b]) Aldrovandus tamen hanc differentiam non perpetuam eſſe tradit, adductâ Lucretii autoritate, qui vermina pro vermibus poſuit:

(c) Donec eos vitâ privârant vermina ſæva
Expertes opis, ignaros, quid vulnera vellent.

Græci σκώληκας vocant, καὶ εὐλὰς, παρὰ τὸ εἰλεῖσθαι, quod volvere ſignificat; Germanis dicuntur, die Würmer.

(a) *lib. 3. de morb. pueror. c. 1.* (b) *lib. 6. de inſect. c. 2.* (c) *lib. 5. de rerum naturâ.*

Vermes non ſunt morbus.

11. Conſideramus autem hîc vermes, non ut morbum, ſed ut cauſam morbi. Licet enim eoſdem quamplurimi (a) cum Galeno (b) ad morbos in numero aucto referant: tamen cùm animalcula hæc toto genere præter naturam in corpore contineantur, nec pertineant ad numerum partium viventium, veriſimile etiam eſt, ea non pertinere ad numerum auctum; aliàs enim ſequeretur, non lumbricos tantùm & calculos, ſed & omnes res, imò quoſcunq; etiam humores, in corpore præter naturam exiſtentes, eſſe morbos in numero aucto; & quibus talia non inſunt, ut benè ſanis, eos deficere in numero, ac eſſe mutilato corpore, ut Jouberti (c) verbis utar: adhæc non poſſunt vermes, ut ſubſtantia, rationem morbi obtinere, ut accidentis, cùm nec ſextus digitus, ſi ἀκριβῶς loqui velimus, morbus ſit, ſed continens cauſa morbi, hoc eſt, ſubſtantia, talem diſpoſitionem in manu præter naturam efficiens.

(a) *Vidus Vidius lib. 9. de curat. membrat. c. 27. Franciſc. Ranchinus ſect 2. de morb. puer. c. 6. & alii.* (b) *lib. de diff. morb. c. 8.* (c) *Comm. ad Gal. de diff. morb. dictat. 4.*

Definitio.

12. Hinc itaq; definimus vermes, inſecta reptilia toto genere præter naturam in corpore humano ex humoribus putreſcentibus, ſemine tamen ſeu principio quodam vitali ſui generis inſtructis, vi caloris interni genita, varios morbos inducentia functionesq́; corporis lædentia.

Vermes cur inſecta?

13. Dicimus inſecta, tùm ab (a) inciſuris, quas vermes cum omni inſectorum genere communes habent; tùm etiam, quòd nec oſſeum quicquam diſcretum, aut carneum,

neum, ſed quiddam inter hæc ipſa medium obtineant, quod Ariſtoteles (b) inſectis tribuit; & denique quòd omnium animalium tota ſint molliſsima, quam differentiam inſectis quoq; aliquibus competere, J. C. Scaliger (c) ſcitè admonet.

(a) *Ariſtot. 1. hiſt. anim. c. 1. Plinius lib. 11. c. 1.* (b) *4. de hiſt. animal. c. 1.* (c) *Comm. lib. 4. de hiſt. animal. c. 1. t. 5.*

14. Reptilia dicimus: διαφέρει γὰρ πτῆσις, καὶ νεῦσις, καὶ βάδισις, καὶ ἕρψις, ut loquitur (a) Ariſtoteles; & reptio iis propriè inſectis competit, quæ pedibus carent, & in modū undarum moventur, alterâ undâ ſemper priorem excipiente, qualiter & vermes ſolent; ita ut primò una pars, deinde altera, mox tertia, demum quarta moveri incipiat, nec ulla tamen à motu planè libera videatur, ut Galenus (b) docet, quem motum Græci εἰλυσπᾶσθαι vocant, quaſi volvendo trahi. *Cur reptilia?*

(a) *1. de part animal. c. 1.* (b) *1. de diff. pulſ. c. 26.*

15. Differentia vermium commodiſsimè videtur vel à formâ ipſorum, vel à ſubjecto, in quo generantur, deſumi, pro cujus varietate & ipſi ſæpius variant. Subjectum generandorum vermium ſingulæ exiſtunt corporis partes, cùm nulla propemodum detur, quæ ab iis immunis ſit. *Differentia vermium.*

16. Generantur quippe in (a) capite, (b) oculo, (c) auribus, (d) naribus, ſub (e) linguâ, in (f) dentibus, (g) pulmonibus, (h) mammillis, (i) corde, (k) hepate, (l) veſiculâ felleâ, (m) utero, renibus (n) & veſicâ, imò in omnibus corporis partibus, (o) quæ putreſcentes humores capere ac fovere poſſunt.

(a) *Foreſt. lib 9 ſchol obſerv. 2. Duret. enarr. in Holler. lib* 1. *c.* 54. (b) *Amat. Luſitan. centur. 7. curat.* 63. (c) *Foreſt. lib. 12. ſchol. obſerv. 8. Schenck. lib. 1 obſerv. med.* (d) *Fernel. lib. 5. pathol. c 7.* (e) *Montuus lib. 4 anaſcev. morb. c. 19.* (f) *Foreſt. lib. 14. Schol. obſerv. 7.* (g) *Schenckius lib. 2. obſerv. med.* (h) *Balduinus Ronſſejus epiſtol. medic. 10.* (i) *Schenckius lib. 2. obſerv. med.* (k) *idem lib. 3. obſerv. med.* (l) *Fabr. Hildan. centur. 1. obſerv. 60.* (m) *Mercurial. lib. 4. de morb. mulier. c. 12. Mercat. de mul. aff. lib. 2. c. 28.*

(n) *Fer-*

(n) *Fernel. lib. 6. pathol. c. 10. Vidus Vid. lib. 10. c. 14. de curat. membr. Bald. Ronſſæjus in epiſtolis* (o) *Marcell. Donatus lib. 4. c. 26. admir. hiſtor. med.*

17. Prædicti verò vermes omnes nec ſub formâ peculiari ab autoribus ferè deſcribuntur, nec aliis diſtinguuntur nominibus, præterquam à ſubjecto, cui inhærent: nonnunquam tamen iidem à vermibus inteſtinorum, quòd vel ſint ejuſmodi, vel ad ipſorum formam quàmproximè accedant, nuncupari quoq; ſolent: unde in utero lumbricos & aſcarides naſci (a) Hippocrates aliique (b) prodiderunt; & Marcellus (c) Donatus ex Gabucino refert, in venis hepatis Ovium & Caprarum viſa ſæpius fuiſſe animalcula cucurbitina, cujuſmodi per urinam etiam viva excreta fuiſſe, Montuus (d) aſſeverat.

(a) *2. de morb. & lib. de morb. mulier.* (b) *Garcias Lopius de variâ lection c. 13.* (c) *lib. 4. c. 26.* (d) *lib. 4. anaſc. morb. c. 19.*

18. Inteſtinorum porrò vermes celebriores ſunt apud Practicos, & in omnium ferè libris deſcripti diſtinguuntur nomine, formâ, locoq; natalitio.

Lumbrici quid?

19. In genere vocantur Lumbrici à Celſo, (a) forſan à lubricitate, ut volunt: ſed haud immeritò dubitatur, an non convenientiùs prima ſolummodò animalium interaneorum ſpecies, cui cum lumbricis terreſtribus tàm nominis quàm formæ ſimilitudo (b) non exigua intercedit, in homine ſic appellari mereatur?

(a) *lib. 4. c. 17.* (b) *Aldrovand. lib. 6. de inſect. c. 6.*

20. Græci ἕλμινθας nominant; quam tamen vocem æquè apud Græcos, quàm lumbricum apud Latinos de primâ tantùm ſpecie, tereti ſcilicet, ſeu rotundâ, intelligendam eſſe præter (a) Spigelium Galeni (b) obtinet autoritas, qui ſæpius ἑλμίνθων vocem pro lumbricis teretibus uſurpavit. Hippocrates (c) ἕλμιγγες vocat, & θύρια (d), ob ferociam ſcilicet (e) ac tyrannidem, quam frequenter in homines ſolent exercere.

(a) c. 2.

(a) *c. 2. de lumbr. lat.* (b) *14. meth. c. 17. & 18.* (c) *1. & 4. epidem.* (d) *Duret. c. 11. t. 15. comm. in Coac. Hipp.* (e) *Spigel. loc. citat.*

21. A formâ, quâ vermes ventris à ſe invicem diſcrepant, triplices à Medicis numerantur: alij enim oblongi ſunt & rotundi; alij lati; alij exiles. *Lumbricorum differentiæ.*

22. Andreas Cæſalpinus ([a]) duo tantùm vermium genera in inteſtinis numerat: latum & rotundum, ſub rotundo & aſcarides & lumbricos comprehendens, quos non niſi ætate differre vult, quòd illi ob velocem exitum non pervenire potuerint ad horum incrementum & magnitudinem: eam forſan ob cauſam & Celſus ([b]) quoque duorum tantùm generum, omiſſis aſcaridibus, mentionem fecit. Avicenna ([c]) quatuor videtur lumbricorum genera annotâſſe; quia verò poſtmodum tàm in differentiis, quàm ſignis eorundem, de tribus ſaltem tractat, ([d]) acquieviſſe videtur in ternario numero, quem & nos cum ([e]) Ariſtotele, ([f]) Galeno, ([g]) Paulo, aliisq; præcipuis Medicis retinebimus.

(a) *lib. 2. quæſt. med. c. 22.* (b) *lib. 4. c. 17.* (c) *lib. 3. fen. 16. tract. 4. c. 1.* (d) *Manardus epiſtol. 1. lib. 3.* (e) *5. de hiſt. animal. c. 19.* (f) *3. aphor. comm. 26.* (g) *lib. 4. c. 57. & 58.*

23. Primæ ſpeciei lumbrici longi ſunt, & quoad latitudinem virgæ inſtar rotundi; à Celſo teretes vocantur, ςρογγύλοι Græcis, Germanis **die Spulwürm**: frequentiùs reliquis naſcuntur, in pueris præſertim; ac in quantitate continuâ vulgò palmæ([a]) menſurantur longitudine, quam tamen vel minimos etiam ſæpius exceſſiſſe novimus; in quantitate diſcretâ ſæpè deprehenduntur magno numero coacervari, & nonnunquam ita compingi, ut pugni magnitudine globum vermium, ultra ſeptuaginta lumbricos conglomeratos complectentem, viderit à puellâ quâdam excretum Fabricius ([b]) Hildanus. *Lumbrici teretes.*

(a) *Marcell. Donat. lib. 4. hiſt. mirab. c. 26.* (b) *obſerv. 57. centur. 1.*

24. Eorum tanta ſævitia eſt, ut (a) per anguſta venarum meſaraicarum orificia aliquando perruperint in ramos venæ portæ meſentericos, inde in venam portæ, ibiq; tranſitum alimenti impediverint.

(a) *Spigel. c. 6. de lumbr. lat.*

25. Aliquando etiam eosdem præ fame inteſtina laceràſſe, & per cutim foràs exiiſſe, ſcribit Alex. (a) Trallianus, idq; vidit Hercules (b) Saxonia: quod etſi à Platero (c) in dubium vocatur, dum vermes nec roſtro acuto vel aperto, nec dentibus eſſe præditos, nec ſugendo hoc præſtare poſſe contendit: tamen experientiæ & Clariſſimorum virorum teſtimoniis hàc in parte fides non derogan da eſt, talibus præſertim lumbricis exiſtentibus, cujusmodi inſtar ſubulæ acutos vidiſſe ſe Foreſtus (d) teſtatur.

(a) *in epiſtol. de lumbr.* (b) *parte 2. prælect. pract. c. 31.* (c) *tractat. 3. prax. c. 13.* (d) *lib. 21. ſchol. obſerv. 38.*

Teretes ubi generentur?

26. Locus generationis, omnium ferè Medicorum conſenſu, eſt in inteſtinis tenuibus, ex quibus (a) obnituntur, dum deſcendit cibus, & ſurſum nonnunquam irrepunt in ventriculum, eumq; gravibus torquent ſymptomatibus, inde per gulam os ipſum conſcendunt, è quo hiante etiam proſiliunt, clauſo verò, dormientibus per palati cavum obrepunt in nares, forasq; prodeunt, fugati ita vel ob materiam venenatam in febribus malignis & peſtilentialibus, vel ob amara in alvum injecta, vel ob famem, idoneum quærentes alimentum.

(a) *ex Fernel. lib. 6. pathol. c. 11.*

27. Sed non tantùm in inteſtinis lumbricos generari credendum eſt, verùm etiam in ipſo ventriculo. Licet enim Ariſtoteles (a) contrarium ſtatuere videatur, dum vermes negat in coctione gigni, ſed in excretione, quæ fit in inferiori alvo, ac deinde demum ſurſum aſcendere:

dere: huicq; Ariſtotelis opinioni ſubſcribant ([b]) Aldrovandus, ([c]) Ranchinus, ([d]) Vidius, & alij: tamen id de naturali ſolùm concoctione, & quæ deſtinata eſt ad alimentum conficiendum, intelligi debet. Quòd ſi in ventriculo quoq; putreſcunt aliquando ſucci, ibi quoq; gigni vermes à ſe patietur Philoſophus extorqueri, ut acutiſſimus Scaliger ([e]) loquitur.

(a) *4. meteor. c. 3.* (b) *lib. 6. de inſect. c. 2.* (c) *de morb. puceror. ſect. 2. c. 6.* (d) *lib. 9. de curat. membr c. 27.* (e) *exercit. 26.*

28. Interim frequentiùs ex inteſtinis in ventriculum lumbricos aſcendere, quàm in eodem generari veriſimile videtur, non obſtante illâ ratione, quam Fabricius ([a]) Hildanus de duodeno protulit, exonerari iſthuc continuò bilem, ſuccum amariſſimum, vermibusq; ſummè deleterium, quam ob cauſam illi inteſtinum hoc ceu hoſtem infenſiſſimum fugerent, & rariſſimè ingrederentur: Bilis enim tàm copioſè in duodenum non effunditur, quin à Chylo copioſiùs redundante contemperari & obtundi queat: quòd ſi in reliquis inteſtinis, per quæ defluit, lumbrici non offenduntur ab humore illo, nec tàm facilè ex duodeno afficientur, cùm credibile ſit, deſcendenti chylo illos obviam repere, eiq; implicitos ſurſum in ipſum uſq; ventriculum penetrare.

(a) *obſerv. 72. centur. 2.*

29. Secundæ ſpeciei lumbrici ad priorum differen- *Lumbrici*
tiam lati dicuntur, Græcis ἕλμινθες πλατεῖαι, ob ſuperfi- *lati.*
ciem corporis latam, vel planam potiùs, ut mavult ([a]) Spigelius: Etſi enim ἕλμινς πλατεῖα (dicit idem) triplò aliquando, imò ſextuplò latior videatur tereti, ita ut ob hoc lati vermis agnomen meritò ſibi adſciſcat, tamen tanta ejus eſt longitudo, ut proportione ſumptâ longitudinis & latitudinis, teres lumbricus multò adhuc ſit latior & craſ-

ſior. Germanicè vocatur à Joële (b) **der Finck** / ſeu, ut vulgò in Saxonia inferiori dicitur, **der Fick** / à Spigelio (c) nominatur **Waſſerkalb** / quòd ſoleat in multâ degere humiditate.

(a) *cap. 3. de lumbr. lat.* (b) *lib. 4 pract. ſect. 3. §. 8.* (c) *c. 4. de lumbr. lat.*

30. Vermis hujus deſcriptiones tàm variæ ſunt apud Autores, ut meritò dubius quis reddi poſſit, an idem ſit vermis, quem depingunt, an verò plures, & diverſi.

31. In longitudine omnes ferè conveniunt, dum vermem hunc omnium longiſſimum eſſe ſcribunt, &, ut Gal. (a) & Trallianus, (b) aliiq; teſtantur, per totam ſæpè inteſtinorum ſeriem extenſum. Plinius (c) tricenum pedum pluriumvè longitudinem menſuravit. Platerus (d) quadraginta pedes plus minusve longos tanto impetu rejectos vidit, ut inteſtina omnia ſimul profundere ſe patientes crederent. Fabr. (e) Hildanus longitudinem unius lumbrici lati fruſtulatim & per vices excreti computavit ad viginti vel plures etiam ulnas Lauſannenſes; cujusmodi etiam Thaddeus (f) Dunus, & (g) Gabucinus unum miræ longitudinis ſe vidiſſe teſtantur.

(a) *comm. 3. aph 26.* (b) *in epiſt. de lumbr.* (c) *lib. 11 c. 33. natur. hiſt.* (d) *lib. 3. obſerv. med. §. de inanimat. excret.* (e) *centur. 2. obſerv. 73.* (f) *c. 15. miſcellan. med.* (g) *c. 3. de lumbr.*

32. Sed quoad formam hujus vermis tàm diverſæ ſunt Autorum ſententiæ, ut non iniquè (a) Manardus ſcribat, neminem ferè Medicorum vermem hunc pleniùs cognoviſſe.

(a) *lib. 4. epiſtol. 1.*

33. Quidam enim corpus ipſius deſcribunt planum, & faſciis, quibus infantes in Germaniâ communiter involvuntur, non abſimile, unde etiam *κειρία*, & *ταινία* Græcis dicitur, Latinis quoque Tænia potiùs quàm tinea, ut depravaprava-

pravata lectio eſt apud Plinium, teſte Marcello Virgilio. Externam corporis ſuperficiem deſcribunt mollem, denſam, exanguem, albam, membranæ inteſtinorum ſimilem, lineis ſeu inciſuris, more inſectorum, à ſe invicem æqualiter diſtantibus, diſtinctam, lateribus utrinq; criſpis, maximè circa partem corporis latiſſimam, ut eò commodiùs flecti poſſit.

34. Latitudinem vermis reſpectu longitudinis exiguam eſſe tradunt, inſtar faſciarum; & vel unius digiti latitudinem æquare, quales Spigelius, (a) Platerus (b), & Thadd. (c) Dunus viderunt, vel ſemiunguis ſpatio deſcribi, qualem Amatus (d) Luſitanus vidit, quando ſcilicet minor adhuc eſt: quò enim longior exiſtit in corpore, hoc latiorem etiam eſſe tradunt Autores, quod benè ut notetur, non ineptè monet (e) Spigelius: cùm enim ægri fruſtulatim excernere plerumque ſoleant hoc inſectum in corpore ita abſcedens (qualem ejus abruptionem in abdomine mulier quædam aliquoties perſenſiſſe ſcribitur à Fabr. (f) Hildano) opus eſt conjecturâ Medici, quàm longum adhuc ſit, quod in corpore remanſit, & quàm validum ad expulſionem medicamentum requiratur.

(a) *c. 5. de lumbr. lat.* (b) *c. 14. lib. 3. prax.* (c) *loc. citat.* (d) *centur. 6. curat. 74.* (e) *c. 5. de lumb. lat.* (f) *centur. 2. obſerv. 72.*

35. Alij lumbricum latum longè aliter deſcribunt. *Cucurbitini.* Hercules (a) Saxonia eum dicit eſſe aggregatum quoddam ex pluribus vermibus in magnitudine & formâ ſemina cucurbitæ æmulantibus, inter ſe non confuſis ſimul, verùm ordine cohærentibus ac diſtinctis, ita ut unus alterum quaſi mordicus prehendere ac continere videatur; quod tamen ſic reverà non eſſe, contra Marcellum Donatum concludit, ſed membranâ quâdam arctiſſimè combinatos & aſtrictos cohærere, eâ quidem ſerie, ut ali-

quando in puero ſeptenni talem coagmentationem octo cubitos longam autor viderit.

(a) *lib. 3. panth. Med. c. 16.*

36. Gabucinus (*a*) lumbricum latum eſſe exiſtimat membranam, ex mucosâ pituitâ in inteſtinis condenſatam, & loricæ modo eadem intus ambientem, intra quam cucurbitæ ſimiles animantes, conceptus more, producantur, & foveantur; eam dum diligentiùs perquireret, viſam ſcribit, per totam ipſius cavitatem ſeriem horum vermium tanquam in lectulo quodam deliteſcere, membranæ iſti motum præſtantem, quæ poſtmodum vacua hujuſmodi ſegmentis cucurbitinis, ſubſiderit & immota planè jacuerit.

(a) *c. 3. lib. de lumbr.*

37. Ariſtoteles (*a*) hæc corpuſcula cucurbitina ſtatuit partum eſſe lumbrici lati; quam opinionem ſtabilire videtur matronæ cujuſdam experientia apud (*b*) Manardum, quæ multos vermiculos ſeminibus cucurbitæ ſimiles in magno quopiam verme, ab aviâ ægrotante excluſo, ſe vidiſſe aſſeveravit. Hippocrates (*c*) tamen negat eſſe partum lumbrici lati, ſed potiùs ſignum ejuſdem; quam opinionem etiam Galenus (*d*) ſectatur: Contra Spigelius (*e*) nunquam in excrementis, quod ſemen cucurbitæ exquiſitè referret, ſe inveniſſe ſuſtinet.

(a) *5. de hiſt. anim. c. 19.* (b) *lib. 4. epiſt. 1.* (c) *4. de morb.* (d) *1. de loc. affect. c. 5.* (e) *c. 15. de lumbr. lat.*

38. Felix (*a*) Platerus & Mercurialis (*b*) lumbricum latum animal non eſſe contendunt, ſed quippiam tantùm animal referens, quod nec vivat, nec moriatur; ejusque tres ſpecies Platerus annotat; primam vocat tæniam inteſtinorum, quam ſuprà deſcripſimus; alteram veluti ex portionibus multis cohærentibus inſtar ſeminum cucur-

bitæ

bitæ formatam, cujus fruſta excreta faſciæ illius abruptæ particulas eſſe ſcribit; tertiam minimè latam, ſeu teretem, lumbricorum inſtar, ligulam appellat, frequentiùs in canibus, rariùs in homine conſpicuam.

(a) *lib. 3. prax. c. 13. & 14.* (b) *de morb. pueror. lib. 3. c. 1.*

39. In tanta igitur Autorum diverſitate quid ſtatuendum ſit de lumbrico lato, ferè dubium eſt. Spigelius (a) vermem hunc ita conſiderat, ut alteram ejus partem, quæ ad latera eſt, putet tenuiorem eſſe, facileq; ſi moram aliquam in corpore trahat, corruptionem ſuſcipere, & quaſi de reliquo corpore emortuam putreſcere; mediam verò, veluti nodum ac ſpinam, ablatis utrinque lateribus membranaceis, ſub figurâ ſeminum cucumeris cohærentium relictam diutiùs conſervari, & poſt abruptionem à reliquo vermis corpore, integrâ hâc formâ remanente, excludi.

(a) *cap. 5. 6. & 15. de lumbr. lat.*

40. Abrumpi autem & corrumpi ita ultimas hujus vermis partes poſſe, citra totius detrimentum ac internecionem, exinde (a) docet, quòd quamplurimæ articulationes atque inciſuræ in ipſo conſpiciantur, quarum licet aliquæ abſcedant, non tamen principem ſtatim partem, caput nimirum, affici neceſſum ſit: cui etiam inprimis cavens vermis, ubi quid noxæ in inteſtinis percipit, ſeſe contrahere, caputq; in medio corporis ſui ponens, reliquum corporis, quod eſt veluti cauda longiſſima, ei circumglomerare ſcribitur.

(a) *Spigel. c. 14. de lumbr. lat.*

41. Hæc Spigelij opinio, ut reprobanda non eſt, ita nec omnem planè ſcrupulum eximit. Quamvis enim ejuſmodi ſegmenta à lumbrico lato ſæpius abrumpi, & ſub formâ ſeminum cucumeris concretorum excerni

con-

concedatur: dubium tamen adhuc eſt, an ejuſmodi vermes cucurbitini, quales Gabucinus deſcripſit, & Manardus (a) quoque à Medicis quibusdam vivos conſpectos fuiſſe prodidit, pro abruptione aut ſegmento lumbrici lati æſtimari debeant, prout ipſe tamen Manardus cenſet?

(a) *lib. 4. epiſt. 1.*

42. Vermiculi enim illi ex Gabucino ſinguli vixerunt, tàm ſeparati quàm conjuncti; id quod de particulis iſtis à lumbrico lato abruptis dici non poteſt: adhæc in canibus ſæpè talem catenationem, inſtar ſeminum cucurbitæ per omnia inteſtina extenſam, inanimem tamen nonnulli viderunt: hæc verò aliud quid erit, quàm abruptio aut ſegmentum lumbrici lati.

43. Quapropter à veritate non videbimur decedere, ſi cum recentioribus (a) quibuſdam lumbricos latos in longos & breves diſtinguamus; illos tænias, hos verò cucurbitinos appellantes; Et in hanc ſententiam ipſe inclinat (b) Spigelius, dum cucurbitinum pro ſuæ ſpeciei lumbrico reputat, eumq; tæniam nominat degenerem.

(a) *ex Manardo lib. 4. epiſt. 1. & Aldrovando lib. 6. de inſect. c. 2.* (b) *c. 6. de lumbr. lat.*

44. Qui verò lumbricum latum animal eſſe negant, hoc ipſo forſan decepti videntur, quôd latos lumbricos ſaltem inſpexerint, vel jam emortuos, vel nondum animatos. Vivere enim illos, præter Gabucinum, aliosq; quamplures fide digniſſimos autores, Spigelius (a) teſtatur, qui non tantùm vermis iſtius motum extra corpus conſpectum, ſed intra abdomen etiam, piſcis inſtar in aquâ ſeſe volutantis, auditum fuiſſe affirmavit.

(a) *c. 7. & 15. de lumbr. lat.*

Lumbricus latus ubi generetur?

45. Locus generationis eidem in inteſtinis tenuibus, humido copioſiore chyloque abundantibus, quo

utroq;

utroq; vermem hunc delectari & nutriri dicunt, aſſignatur ab Aëtio,(a) cui etiam Spigelius (b) adſtipulatur. Et quamvis Hippocrates (c) animal hoc in embryone tantùm naſci aſſeveret; tamen experientia tàm in brutis, quàm homine contraria eſt, quâ, ſæpiùs extra uterum (d) vermem hunc generari, clarè conſtat.

(a) *tetrabibl. 3. ſerm. 1. cap. 40.* (b) *c. 11. de lumbr. lat.* (c) *4. de morb.* (d) *ex Spigelio c. 12. de lumbr. l. & Ranchino de morb. puer. ſect. 2. c. 6.*

46. Tertiæ ſpeciei lumbrici Aſcarides tàm Græcis quàm Latinis dicuntur: Gaza tipulas vertit; ſed malè ſecundum (a) Aldrovandum. Germanicum horum nomen non invenio: liceat tamen ob ſimilitudinem, quam cum vermiculis in caſeis generatis obtinent, illos etiam eodem nomine Maden appellare: ſunt quaſi parvi lumbrici, tenues, ſimulq; teretes, qui in parte potiſſimùm inferiore craſſi inteſtini gignuntur, & in extremo longanone atque ſphincteris initio conſiſtunt, vehementem pruritum iis in locis excitantes. *Aſcarides.*

(a) *lib. 3. de inſect. c. 5.*

47. Dicuntur ἀσκαρίδες, ἀπὸ τοῦ ἀσκαρίζειν, ſaltare, ſedi enim, circa quam conſiſtunt, vehementem pruritum inferentes, aſſidueq; commoti hominem continuò extimulant, nec perpetuis punctionibus permittunt quieſcere. Eos à lumbricis teretibus diverſos eſſe contra Cæſalpinum contendit (a) Ranchinus, nec putat aſcendere poſſe aſcarides citra perniciem propriam ad inteſtina tenuia, quemadmodum nec rotundos ſalvos deſcendere, cùm hi ἀπρόσφυτοι (b) ſint inteſtinis craſſis, εὐπρόσφυτοι verò tenuibus, ſicut illi vice verſâ; omnia autem extra locum naturalem, in quo procreantur & conſervantur, perire ſoleant.

(a) *de morb. pueror. ſect. 2. c. 6.* (b) *Duretus annotat. in Holl. de morb. intern. lib. 1. c. 45.*

Dracunculi,

48. Præterea non tantùm in viſceribus hominis, ſed etiam in ipſo corporis habitu vermes generari compertum eſt. Teſtantur hiſtorici apud Ægyptos, Indos, & Arabes, ac præcipuè in Mediâ juxta Perſidem, dari morbum ſævum & horrendum, illis provinciis endemium, ex vermibus aliàs brevioribus, aliàs perlongis, (Alcubaſis quandoq; decem & non raró viginti palmarum longitudinem excedere expertus eſt) qui in pedibus, brachiis, aliisq́; partibus muſculoſis generantur, ibidemq́; acerbiſſimos dolores & inflammationes excitant.

49. Vermem hunc ([a]) Gal. & Paulus ([b]) Æginetà non tàm ex propriâ αὐτοψία, quàm aliorũ relatione, Dracontium vel Dracunculum nominârunt, quòd per ſinuoſos anfractus Draconis aut ſerpentis in morem ſeſe divaricet. Avicenna ([c]) venam Medenam vocat; Haliabbas ([d]) venam ſanioſam; Rhaſis ([e]) interpres venam civilem; Avenzoar ([f]) venam medianam; Alzaravius ([g]) venam exientem; Alcubaſis ([h]) venam cruris. Ægineta ([i]) ex Sorani mente animal eſſe negat, ſed nervosã tantùm ſubſtantiam; Eum tamen refutant Thomas ([k]) à Veigâ, Amatus ([l]) Luſitanus, Spigelius, ([m]) & alij.

(a) *6. de loc. aff. c. 3.* (b) *lib. 4. c. 54.* (c) *fen. 3. lib. 4. canon. tractat. 2. c. 21.* (d) *lib. 9 pract. c. 67.* (e) *lib. 12. c. 2. continent.* (f) *lib. 2. tract. 7. c. 20.* (g) *pract. 12. tract. 18.* (h) *lib. 2. c. 91.* (i) *loc. citat.* (k) *comm. ad 6. Gal. de loc. affect.* (l) *curat. 64. centur. 7.* (m) *c. 7. de lumbr. lat.*

Thom. Vermis Americanus.

50. Similis ferè morbus in Americæ Indiæ occidentalis parte quibusdam populis oboritur: ægrotantum enim pedes vermes exigui, ut Thevetus ([a]) narrat, affligunt, qui Thom ab illis populis appellantur, haud majores cimicibus; eorumq́; tanta quandoq; ſcribitur ubertas eſſe in corpore ægro, ut tumores non ſine ſummo dolore efficiant fabâ majores, ex quibus ſuppuratis & apertis apertè egrediuntur.

(a) *lib. 2. hiſtor. Amer.*

51. Ejuſ-

51. Ejusdem generis, vel iidem fortaſſis ſunt vermes illi intercutanei, quos Alzaravius in ſuâ praxi deſcribit: generari nimirum eos in corpore humano inter cutim & carnem, ac ſerpere ſub cute, donec eam perforaverint, huncq; affectum paſſionem bovinam appellat, quòd bobus (quin & cervis etiam) frequenter accidat. *Paſſio bovina.*

52. Iſtiusmodi affectibus, utpote peregrinis, aut certè rarioribus apud nos correſpondere videtur, illud vermis capillaris novũ genus; quod à Joële ([a]) & Warenio ([b]) deſcribitur lanarum pilis ſimile, inter cutẽ & membranam carnoſam generatum, crebriùs quidem in carnoſis partibus tibiarum, rariùs in brachiis, interdum & in dorſi muſculis, nonnunquam in ſolis manuum digitis circa ungues deprehenſum, paronychiæ utplurimùm ſeſe adjungens, quod ſubinde dolores acerbos in affecto loco concitat, & ubi carnoſam perforavit membranam, muſculosq; occupavit, tumorem partis affectæ ac deinde ſuppurationem infert. Germanis vocatur **Der Harwurm.** *Vermes capillares.*

(a) *lib. 10, practic. ſect. 3. §. 11.* (b) *in Noſologiâ diſput. 21.*

53. Huic affectui in habitu corporis & alter quodammodò reſpondet, ab Hercule ([a]) Saxoniâ pilaris nominatus, & infantibus noſtratibus non infrequens, quamvis etiam mulierem Concionatoris cujusdam uxorem, ultra 30. annos natam eodem correptam fuiſſe, certò conſtet. In eo pili extra cutem tenuiſſimi in muſculoſis brachiorum, crurum & tergi partibus excreſcunt, vermiculi ([b]) verò intus generantur in cute & muſculis, formâ ἀσκαρίδων, qui nunquam quidem toti prorepunt è poris, ſed poſt frictiones calidas in ſudatoriis capitella nigris punctis, ut quidam volunt, inſignita protrudunt, eaq; ſi ab aëre frigidiuſculo vel leviter ſaltem tangantur, mox retra- *Crinones.*

 hunt;

hunt; infantibus ardore intolerabili & pruritu moleſtiſſimi, omnemq́; humorem alimentarium tenellis corpuſculis depopulantes. Vocantur Cridones, ſeu crinones à crinibus. Germanis **die Miteſſer.**

(a) *lib. 10. panthei Med. c. 41.* (b) *Schenckius lib. 5. obſerv. med. §. Phthiriaſis. Georg: Kufnerus c. 12 append. ad Leonell. Favent. de morb. puer. Andreas Dudith in epiſt. Scholzij volum. 2. epiſt. 27: Reuſnerus exercit. 1. de ſcorbut.*

Sirones. 54. Tandem nec incommodè huc referuntur Sirones, vel ut Platerus (*a*) mavult, Chirones, quòd volas manuum plerumq; occupare ſoleant, quas perpetuo pruritu afficere conſueverunt. Animalculo huic, omnium facilè minimo, forma (*b*) nulla expreſſa; præterquam globi; vix oculis capitur magnitudo; tàm puſillum eſt, ut non atomis conſtare, ſed ipſum eſſe una ex Epicuri atomis videatur: ita ſub cute habitat, ut actis cuniculis urat; extractum acu & ſuper ungue poſitum ita demum ſe movet, ſi ſolis calore adjuvetur; altero ungue preſſum haud ſine ſono crepat, aqueumq́; virus reddit. Germanis Sirones **Süren** ab Idiomate, vel quòd cutim ſerpendo exarent, **Reitlüſen** vocantur.

(a) *lib. 3. prax. c. 13.* (b) *ex Scaligero exerc. 194. ſect. 7.*

55. Atque hæc eſt vermium, ſi non omnium, ſaltem plerorumque in corpore humano naſcentium, paulò latior deſcriptio, quorum cauſæ jam nobis ſunt inveſtigandæ.

Vermium cauſa efficiens. 56. Efficiens vermium cauſa calor eſt internus in corpore, qui poſteaquam putrefecit materiam excrementitiam, à putrefactione (*a*) promovens ſeſe ad opus concoctionis, agit in quaſdam partes, opere ſeparatim dicato vermium generationi, ſegregatisq́; homogeneis ab incoctilibus heterogeneis, quicquid benignioris materiæ ſupereſt, coquit ulteriùs (γίνεται γὰρ ὀδὲν σηπόμενον,

νεν, ἀλλὰ πεπτόμενον, inquit (b) Philoſophus) proq; ejus conditione & qualitate novum animal in microcoſmo producit.

(a) *ex Scaligero exerc. 26.* (b) *3. de gener. animal. c. 11.*

57. Nondum verò ſufficit ad vermium generationem illa caloris interni ἐνδελέχεια, ſed ut ἐντελέχεια conſequatur, dari oportet ([a]) materiam habilem, principio quodam vitali, & peculiari formam talem recipiendi potentiâ inſtructam, adeoq; ſemine imprægnatam, ſi non, univoco, ſaltem ἀναλόγῳ.

(a) *Cl. Sennertus lib. 2. inſtit. parte 2. c. 9.*

58. Non enim putandum eſt, ut accuratiſſimè Celeberrimus D. Sennertus ([a]) monet, animalcula iſthæc ex putredine ſimpliciter generari, cùm varios vermiculos ex variis plantis citra putredinem, teſte ([b]) Scaligero, produci videamus; verùm ex ſeminali quodam principio interno gigni, quod ſæpiùs in materiâ ignobili ac rudi delitescit, imò & excrementis immerſum eſt, Philoſopho ([c]) aſſerente, unde non immeritò ψυχικὴν θερμότητα univerſo ineſſe ([d]) exclamavit.

(a) *c. 12. de conſenſ. & diſſenſ.* (b) *exerc. 59. ſect. 2. & exerc. 190.* (c) *2. de gener. anim. c. 3.* (d) *3. de gener. anim. c. 11.*

59. Quemadmodum verò ex quolibet non quodlibet conficitur: ita non ex uno principio cuncti vermes emergunt, licet una ſit cauſa efficiens, & materia nonnunquam eadem ferè videatur: v. g. eadem, ut apparet, pituita, ex quâ diverſi vermes gigni poſſunt. Semina enim animalium ejusmodi imperfectorum quaſi ambigua ſunt (docente iterum ([a]) communi noſtri temporis Præceptore) formasq; plures in ſe includunt, ita tamen, ut una dominari debeat, altera ſervire, niſi oblatâ occaſione aliud fiat; & eâ ratione non diffitemur, locum generationis

 tionis

tionis aliasq; circumſtantias ſæpè multùm valere, ut una forma præ alterâ quâdam inducatur.

(a) *Sennertus lib. de conſenſ. & diſſenſ. c. 12.*

Materia vermium. 60. Materia vermium, ſeu ſubjectum illius genituræ, ſunt excrementa corporis, & omnis generis humores, à quibus cum (a) Oribaſio & Sanctorio (b) nec bilem, nec humorem melancholicum excludimus, præſertim ſi cum aliis permiſceantur, ut vult Hercules (c) Saxonia.

(a) *3. aphor. 30.* (b) *lib. 5. meth. vitand. error. c. 11.* (c) *part. 2. prælect. pract. c. 31.*

61. Quamvis enim ex ſententiâ Pauli (a) Æginetæ, ſuccos calidos acres & melancholicos ad lumbricorum proventum ineptos eſſe, & bilem potiùs interimere vermes quàm generare, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον concedatur: tamen nonnunquam ab illis etiam vermes gigni vel hinc evincitur, quòd non tantùm in fructibus (b) amaris, ut olivis, imò & ipſo abſynthio (c) creſcere vermes ſoleant; ſed & in inteſtinis corporum quorundam (d) febre malignâ extinctorum bilis plurima cum multis lumbricis teretibus eâdem repletis ac nutritis reperta fuerit; quin & (e) in ipſa veſiculâ felleâ vermes aliquando delituerint; nec inficiatur Scaliger (f) ex urinâ quoque vermes poſſe creſcere, cùm & in mari & in aceto generentur.

(a) *lib. 4. c. 57.* (b) *Ranchinus de morb. puer. ſect. 2. c. 6.* (c) *Cardanus lib. 18. de ſubtilitat.* (d) *Spigelius c. 8. de lumbr. lat.* (e) *Fabr. Hildan. centur. 1. obſerv. 60.* (f) *comm. in lib. 5. Ariſtot. de hiſt. animal. c. 18. t. 213.*

62. In ſpecie verò qui in capite fiunt, produci credibile eſt, vel ex materiâ pituitoſâ, cujus metropolis quaſi caput eſt, vel ex cranij corruptione; circa oculos & nares, ex muco & pituitâ ibidem redundante; in auribus, ex ſordibus vel pure ibi contentis; ſub linguâ ex ſanguine ibidem putreſcente; in dentibus, ex eſculentorum, in cavitatibus eorundem relictorum, vel humorum affluentium putredine; in pulmonibus, ex pituitâ craſsâ & viſcidâ;

in

in mammis ex lacte, aliisvè ſuccis putreſcentibus; circa cor ex humoribus vel pinguedine intra capſulam cordis; in hepate ex ſanguine ibidem putreſcente; in utero, veſicâ & renibus ex impuritatibus ibidem collectis ac ſtagnantibus: ſæpiùs etiam alibi generatos ad partes haſce per vaſa deferri Medicorum nonnulli tradiderunt.

63. Lumbrici teretes [a] oriuntur in inteſtinis tenuibus, jejuno præſertim, è chyli portione craſsâ ac veluti carnosâ & pingui, quæ dum à venis meſaraicis exugi non potuit, calore inteſtinorum elaboratur, factâq; delineatione [b] longâ ac tenui inſtar fidium craſſiorum teſtudinis, animatur & in lumbricos tranſit.

(a) *Platerus lib. 3. prax. c. 13.* (b) *Spigel. c. 9. de lumbr. lat.*

64. Lumbrici lati materia [a] eſt omne id, quod in inteſtinis reſervatur à naturâ ad excernendum, ſive à cibis ingeſtis ibi relictum ſit, tanquam inutile pro alimento, ſive à corporis præcipuis partibus, capite ſcilicet & jecore, eò delapſum; quod Hippocrates [b] per pus fervidum in embryone ex lacte & ſanguine computreſcentibus factum exprimit.

(a) *ex Spigel. c. 8. de lum. l.* (b) *lib. 4. de morb.*

65. Aëtius [a] lumbrici lati materiam dicere videtur inteſtinorum tunicam abraſam, & in corpus vivum mutatam, quod cùm abſurdum ſit credere, ſi κατὰ τὸ ῥητὸν interpretemur, intelligendum potiùs eſt, [b] de mucosâ quâdam materiâ, quæ interiorem inteſtinorum tunicam oblinit, & putreſcens in vivum animal latumq; vermem efformatur; vel accipiendum eſt de formâ tantùm hujus animalis, quam deſcripturus Aëtius dixit ſimilem eſſe inteſtinorum tunicæ internæ, eâdem mente, quâ Hipp. [c] ſtatuit, eſſe velut abraſionem albam inteſtinorum.

(a) *tetrabibl. 3. ſerm. 1. c. 40.* (b) *Salins Diverſus. c. 81. annotat. in lib. Altamari.* (c) *lib. 4. de morb.*

66. Hæc

66. Hæc verò materia excrementitia pro efformando lumbrico lato, non neceſſum eſt, ſi Spigelio (a) credimus, ut per omnia inteſtina extendatur, prout ejus fert longitudo, quando adolevit, ſed ſufficit in minori ſpatio primùm efformari corpus, quod poſteaquam animatur, per nutritionem indies in majorem molem, adeoq; demum excreſcit, ut longiùs ſæpè menſuretur omnibus inteſtinis.

(a) *c. 9. de lumbr. lat.*

67. Eidem opinioni ferè reſpondet, quod de vermis cucurbitini augmentatione Petrus Salius Diverſus (a) annotat; generari quidem illum in inteſtinis ſuperioribus, & exinde alimentum capere; augeri verò per accretionem tantùm, uti lapidem in veſicâ, ſuperadditâ ſemper novâ materiâ ad partem inferiorem, ſicq; augeſcentem ad inferiora inteſtina extendi, donec eorum omnium longitudinem adæquet.

(a) *comment. in Hipp. 4. de morb.*

68. Aſcarides non veriſimile eſt generari ex pituitâ ſalsâ, ob eamq; ita decurtari, ut placuit Dominico (a) Leonino, nec ob materiæ paucitatem tàm parvos relinqui, ut voluit (b) Aldrovandus, ſed cùm ſint ſui generis vermiculi exigui, oriuntur ab aſſumtis cibis, qui extra corpus facilè putreſcunt, & vermiculantur, ſi de illis aliquid in coli anfractibus diutiùs detineatur. Ejusmodi vermiculos ex caſeo in inteſtinis genitos per venas meſaraicas in venam cavam, indeq; in renes & veſicam perveniſſe Platerus (c) prodidit.

(a) *ſect. 3. lib. 4. c. 9.* (b) *lib. 6. de inſect. c. 2.* (c) *lib. 3. prax. c. 13.*

An lumbrici generentur?

69. Dubitatur hîc, num Lumbrici etiam univocè generentur? Ariſtoteles (a) concedit hoc de lumbricis latis, negat verò de Aſcaridibus: Hippocr. (b) contra de lumbri-

lumbricis latis negat, concedit verò de teretibus. Marcellus Donatus (c) ejusmodi animalcula ex putredine orta generare negat, aut ſi generent, id tamen perfectum non eſſe, ſed tale, ſecundum Ariſtotelem (d), quod nec mas, nec fœmina exiſtat.

(a) *5. de hiſt. animal. c. 19.* (b) *4. de morb.* (c) *lib. 4. de hiſt. Med. c. 26.* (d) *1. de gener. animal. c. 1. & 2 ejusd. c. 4.*

70. Contrà verò Scaliger (a) quædam animalia gignere, & non gigni tradit, ut murium patres mures, qui ipſi nati ſunt ex putredine: cui opinioni & nos accedentes, lumbricos, ſolos tamen teretes, citra ſexus diverſitatem (qualiter animalium nonnulla ſolere Ariſtoteles (b) reliquit) fœcundos eſſe ſtatuimus, & ut parentes æquivocè generantur ex materiâ putreſcente, in qua ſemen eorum continetur, ita in illis poſtea ſimilem quandam materiam naturaliter foveri, quæ eadem ſemina continet, ex quibus vermes producuntur.

(a) *exerc. 15.* (b) *de hiſt. animal. c. 11.*

71. Quod verò ex Manardo de vermibus cucurbitinis, in magno quopiam verme inventis, ſupra (a) prolatum eſt, dubitatur adhuc, an ille fuerit lumbricus latus, ſive tænia, an verò teres, ſimilis illi lumbrico prægmagno & rotundo, quem puella quædam excluſit, cujus caput cùm virginis pater pedibus conculcâſſet, ex eo alios vermes prodiiſſe, Amatus (b) Luſitanus memorat.

(a) *Theſ. 37.* (b) *Centur. 5. curat. 46.*

72. Dracunculi iisq; congeneres vermes ex materiâ viſcidâ, lentâ & malignâ, in partib. muſculoſis collectâ, generantur. Sirones ab ichoribus humorum, unde ſcabies gignitur (quam etiam plerumq; comitantur) ſub cuticulâ craſſiore in volâ manus utplurimum generari conſueverunt.

 73. Ca-

73. Capillares vermes materiam itidem pituitoſam, priore tamen minùs lentam, & aliis ferè humoribus commixtam, magisq; ſiccam, pro causâ materiali agnoſcunt. Crinones proveniunt ex materiâ mucosâ, viſcidâ & pingui, intus ſub cute putreſcente ob cohibitam transſpirationem, & pro pororum conceptaculis ac proportione in vermiculos tranſmutatâ.

74. Materiam hanc excrementitiam generant foventq; cauſæ mediatæ, quales ſunt, temperamentum, ætas, tempus anni, res non naturales & alia, de quibus infra agetur.

Cauſa formalis vermium. 75. Cauſa formalis anima vermium eſt, quæ vitam cum ſenſu motuq; ipſis largitur, è potentiâ materiæ excitata, ut ſupra diximus. Forma verò hæc eò imperfectior exiſtit, quò ignobilior materia fuit, unde producti ſunt Lumbrici, adeò ut Albertus [a] Magnus ipſis vix duos ſenſus, guſtum & tactum, concedere videatur. Ariſtoteles tamen [b] omni inſectorum generi olfactum etiam, eumq; exquiſitiſſimum tribuit. Theoph. [c] Paracel. vermiculis illis, quos ſupra Paronychiæ nonnunquã adjungi diximus, auditum quoque adſignat, & hinc ægros à molendinis aliisq; ſtrepitibus procul abeſſe jubet, ne vermis excitetur, magisq; ſæviat.

(a) *lib.* 12. *de animal.* (b) *lib. de ſenſ. & ſenſili. c.* 5. (c) *part.* 4. *Chirurg. lib.* von offenen Schäden und Geſchwären. *c.* 17.

Cauſa finalis. 76. Cauſa finalis lumbricorum à Mercuriali [a] ſtatuitur depuratio & abſumtio excrementorum in corpore humano, quam fieri putat, tàm per generationem, quàm nutritionem lumbricorum: verùm cùm factæ ſint à natura ordinariæ viæ, per quas excrementa expurgantur, & lumbrici in corpore non tam excrementa, quàm ſuccum chylumq; laudabilem conſumant, variosq; inſuper affe-

ctus inducant, non videtur omnimodò Mercurialis opinio admitti poſſe.

(a) *lib. 3. de morb. puer. c. 3.*

77. Nos, licet reſpectu naturæ univerſalis Paræi ([a]) ſententiam non rejicimus, dum fœcundam omnium parentem Naturam univerſæ materiæ varias portiones ex majori mundo in Microcoſmum indidiſſe ſcribit, ut eſſet exemplar univerſi, (quo naturæ luſu jam varias piſcium, aliarumq; rerum imagines, etiam in re inanimatâ, lapide ſciſſili, depictas cernimus): tamen reſpectu naturæ particularis, dum ipſa in materiam talem excrementitiam concoquendo, & partes homogeneas congregando, inq; ſuccum laudabilem convertendo ulteriùs operari ſatagit, hoc fine ſuo illam fruſtrari cum Vido ([b]) Vidio exiſtimamus, adeoq; præter ipſius intentionem animalcula hæc produci; quo ſenſu forſan Galenus ([c]) vermes ab eodem Opifice, à quo homines, formari non credidit, ad impietatem accedere ratus, ſi hoc ſtatuatur.

(a) *lib. 19. c 13.* (b) *lib. 9. de Curat. membr. c. 27.* (c) *de format. fœtus c. ult.*

78. Signa vermium duplicia ſunt, Diagnoſtica & Prognoſtica. Signa Diagnoſtica ſunt vel communia, vel propria. Communia deſumuntur ab iis rebus, quæ vel morbum præceſſerunt, quales ſunt Ætas, Regio, Anni tempus, temperies, victus, &c. vel ipſum comitantur. *Signa vermium diagnoſtica.*

79. Ætatis ratione ſtatuuntur ex Hippocrate ([a]) puerorum anni huic morbo maximè obnoxij, tùm, quòd inibi tàm in quantitate, quàm qualitate alimentorum ingerendorum peccetur; tùm quòd illorum temperamentum calidum & humidum putredini ſummè ſit obnoxiũ. Quoad Regionem, habentur quædam vermium ſpecies quibusdam Regionibus Endemiæ: ſic Dracontium Arabiæ, Ægypto & Indiæ proprium faciunt Autores: Lum-

bricum latum Arabibus, Armeniis, Syris & Thebanis innaſci, Theophraſtus (b) prodidit. Crinones Septentrionalibus oris ſunt Endemij; & vermes capillares Germaniæ quibusdam provinciis frequentiores eſſe putantur.

(a) *3. aphor. 26.* (b) *lib. 4. hiſtor. plantar.*

80. Inter Anni tempeſtates in Autumno potiſſimùm, ſecundum Hippocratem (a), Lumbrici generantur, non tantùm ob ipſius temperamentum inæquale, cujus ratione à Galeno (b) omnibus ætatibus, naturis & Regionibus adverſus eſſe dicitur; ſed & ob fructus, quos Græci *ὡραίους*, Plinius fugaces nominat, & muſtum illo tempore copiosè bibi ſolitum: talia verò ingeſta cùm citò putreſcant, de vermium generatione ſuſpicionem facilè movent. Circa temperamentum notandum eſt pituitoſum, quod videtur omnium citiſſimè vermes excludere, ob copiam excrementorum, quæ ab hebetiori calore non tàm feliciter digeruntur. In victus ratione inquirendum eſt, an tales cibi, ex quibus vermes generantur, fuerint ingeſti, tùm etiam an circa reliquas res non naturales error fuerit commiſſus.

(a) *ſect. 1. lib. 1. epidem.* (b) *Comment. 3. aphor. 18.*

81. Quæ ipſum affectum vermicularem comitantur ſigna communia, videntur tantùm propriè ſpectare ad inteſtinorum vermes, & ſunt ſymptomata omnium trium facultatum principalium, naturalis, vitalis, & animalis.

82. In naturali emergit oris fœtor, inappetentia, nauſea, vomitus creber, effluxus multæ ſalivæ per os, inflatio ventris ad modum hydropicorum cum murmure, ex abundantiâ cacochymiæ & flatuum copiâ: oritur appetentia canina, quia vermes omnem laudabilem chylum conſumunt, vel ut Spigelio (a) placet, corrumpunt

etiam:

etiam : accidit morſus & eroſio ventris, & exacerbatio tempore famis; volvulus ob contorſionem vel exiccationem inteſtinorum : adeſt alvi durities à flatibus & excrementis ſiccioribus, nonnunquam etiam fluxus alvi: ſitis, ob febrem vel ſiccas evaporationes : urinæ variæ ſunt, albæ, obſcuræ, ſpumoſæ, perturbatæ, ſudores frigidi & fœtidi, &c.

(a) cap. 15. de lumbr. lat.

83. In vitali facultate ſtatus naturalis à vermibus evertitur, dum febres oriuntur, & Lypothymiæ, pulſusq; parvus eſt, obſcurus, difficilis & inæqualis, reſpiratio anxia, tuſſis ſicca ob evaporationes putridas, cor & partes ſpiritales infeſtantes.

84. Quod ſi ingraveſcat malum, in animali etiam facultate labes deprehenditur: delirant ſæpiùs ægroti verminantes, aliàs ſomnolenti nimis ſunt, aliàs plus juſto vigilant, pro conditione ſcilicet vaporum ad cerebrum aſcendentium; inter dormiendum clamant, dentibus ſtrident, gemunt, contorquent labia, & maſticare quaſi videntur, genæ per intervalla rubent, extrema ſæpè refrigerantur ob vapores elevatos, nares pruriunt, quas ideò ſæpiùs fricant, ut taceam epilepſiam & reliquos etiam affectus, ſuprà enumeratos.

85. Signa propria ſingulis ſpeciebus in quibuslibet corporis partibus, excepto abdomine & corporis habitu, incerta valdè ac dubia ſunt, nec ulla verè Pathognomonica ab Autoribus conſignata reperiuntur, cùm vix aliter ſeſe prodant illi vermes, quàm per acerbiſſimos dolores, medicamentis emollientibus & Anodynis non cedentes, ſupervenientibus nonnunquam ſymptomatibus parti verminanti aliàs propriis.

86. In utero tamen, ſi vermes geniti fuerint, dicunt prurire illum, totumq; corpus inquietum eſſe, oſculum uteri, & pudendum copioſâ pituitâ, ob pruritum & dolorem illuc confluente, perfundi, cum menſtruis nonnunquam vermiculos excerni, aliaq; ſymptomata ſupervenire, quæ de ſignis communibus ſupra commemoravimus.

87. Lumbricorum verò rotundorum ſigna ſunt, morſus ventris vehementior, tuſſicula ſicca, inſomnia turbulenta cum tremore, ſurrectione, clamore & maxillarum motione, nec non reliqua ferè ſigna ſuperiùs enarrata, non quidem omnia ſimul, ſed ex illis aliàs alia. Nonnunquam etiam per alvum excernuntur teretes diverſi coloris, flavi, albi, rubri, nigri; quod ut communiter varietati materiæ, unde generantur, tribuitur; ſic negatur à Sanctorio (a) ex vermium colore prædominium humoris peccantis poſſe colligi, idq; tùm ex definitione generationis Ariſtotelicâ (b) tùm ex inductione variorum colorum, qui ex mixtione diverſi à rebus miſcendis reſultant.

(a) *lib. 5. meth. vitandor. error. c. 10.* (b) *1. de ort. & inter. t. 23.*

88. Latorum ſigna propria ſunt, excrementa ſemini cucumeris ſimilia, ut voluit Hippocrates (a); fames item canina, quæ huic generi quàm teretibus frequentior eſt; cita item aſſumptorum dejectio, gracilitas & Atrophia major, ſputa copioſiora, dolor gravativus modò in dextris, modò in ſiniſtris, & frigus moleſtum in ventre perceptum, cujus Fabricius Hildanus (b) meminit: quin & hoc verme occupatos ſubinde lactis ac papaveris eſum deſiderare, aliàs verò minùs quietos eſſe (c) aſſeverant.

(a) *4. de morb.* (b) *centur. 2. obſerv. Chirurg. 73.* (c) *Barthol. Carrichter. c. 74. lib. 1.* von der Leibartznen.

89. Con-

89. Concurrunt etiam cum lumbrico lato Epilepſiæ, Lypothymiæ, vigiliæ, febres, dolores colici, dyſenteriæ & alia ſigna communia, ſed rariùs quàm cum teretibus, & ferè tunc demum, quando æger multum delinquit in motu aut exercitiis nimiis, vel ſi pravo victu utatur, ipſiq; lumbrico valdè contrario, aut ſi medicamentis eum laceſſat, aut ſi intus humor quidam gignatur vermi contrarius; tunc enim (a) nimium ſupercalefactus, vel plus quàm decet refrigeratus, vel alio modo alteratus, affectibus prædictis ſuam prodit hoſtilitatem.

(a) *Spigel. c. 16. de lumbr. lat.*

90. Aſcaridum ſigna propria ſunt pruritus in recto inteſtino moleſtiſſimus, ac ſi formicis plenum eſſet, teneſmus & tineæ excretis alvinis undique aſperſæ. Dracontij ſigna ab autoribus referuntur, dolor in cruribus, aut brachiis ſubitò exoriens, ibidemq; certo in loco exulcerans, unde dracunculi caput exſertum in formâ nervoſæ cujusdam ſubſtantiæ exiccatæ conſpicitur, quo attracto, maximè verò abrupto, dolor ſæviſſimus excitatur.

91. Vermium capillarium ſigna ſunt, lancinans & erodens dolor in parte affectâ, cui proceſſu temporis accedit tumor & ſuppuratio. Sironũ ſigna ſunt puſtulæ exiles & pruriginoſæ, in manibus adultorum ac infantium pedibus exortæ, è quibus compreſſis humor exilit ſeroſus. Crinonum ſigna ſunt, dolor & ardor intolerabilis, ac pruritus moleſtiſſimus, quo infantes exercentur, unde nonnunquam vigiliæ continuæ, febres & atrophia conſequuntur, nonnunquam excrementis alvi & urinis dicunt vermiculos, tineis non abſimiles, admiſceri; pili v. per partes affectas excreſcere conſpiciuntur.

92. Prognoſtica ſigna itidem vel communia ſunt, *Signa prognoſtica.*

vel

vel certis ſpeciebus peculiaria: In genere, cùm vermis ſit animal toto genere p. n. in homine natum, ex eodem vivens, ac alimentum ſibi quærens, quanta ejus ſit in corpore noxa, conjicere facilimum eſt: unde ſi partem nobilem vermes occupent, res videtur valdè in ancipiti poſita, ſi membrum ſenſile, dolores exquiſitos pariunt, & quamcunque demum partem infeſtent, deſtruunt ejus actiones, excitatis affectibus, aliàs parti verminoſæ familiaribus: copioſiores magis affligunt, quàm pauciores, & quò grandiores ac pinguiores, hoc pejores exiſtunt, indicantque materiæ copiam, ex qua generati ſunt, ac nutriuntur.

93. In ſpecie lumbrici teretes reliquis ventris vermibus deteriores exiſtimantur, quòd in inteſtinis hinc illinc repant, eadem pungant, & ſæpiùs planè perforent, ut ſupra commemoratum eſt: imò nec mortui in corpore citra noxam detinentur; ita enim putreſcentes vaporibus tetris cor cerebrumq; petunt, & febres, convulſiones, alioſq; pravos affectus inducunt.

94. In febrium principio lumbricos vivos excerni, Saxonia (a) damnat; fugere enim illos malignitatem humorum putreſcentium, ſicq; vivos excludi: ſed & in augmento morbi mortuos evacuari indicium malignitatis eſſe ducit, è qua vermes extinguantur, quod ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ concedi poteſt. Quod ſi verò cum alvi excrementis lumbrici teretes deſcendant, morbo ad criſin properante, ἐπιτήδειον eſſe Hippocrates (b) pronunciat.

(a) *pract. prælect. part. 2. c. 31.* (b) *2. Prognoſt. t. 18.*

95. Lumbrici lati juxta Hippocratem (a) mitiores ſunt teretibus. Celſus (b) contrà latos pejores pronunciavit. Uterq; Autor non videtur alteri contrarius, ſi men-

tem

tem utriusq; ex Spigelij (c) interpretatione intelligamus. Hippocrates enim vult, eum, qui lumbricum latum habet, toto tempore, quo habet, non valdè graviter premi, cûm animal hoc naturâ ſatis mite, & ad motum tardius ac ineptius eſſe dicatur, unde etiam mortem non inferre, ſed conſeneſcere cum homine, ab eodem Hippocrate perhibetur; ſive jam per τὸ ξυγκαταγηράσκειν annos lumbrici intelligamus, ut mavult Spigelius (d), ſive hominis ætatem, ut interpretatus eſt (e) Petrus Salius Diverſus.

(a) *4. de morb.* (b) *lib. 4. c. 17.* (c) *cap. 16. de lumbr. lat.* (d) *c. 14. ejusd. tract.* (e) *comm. in Hipp. 4. de morb.*

96. Celſus contrà curationem reſpicit, quæ multò difficilior eſt in lato, quàm in teretibus: hos enim ſæpiſſimè tàm vivos, quàm mortuos ſuâ ſponte per alvum exire experientia docet; Contrà verò illum ex inteſtinis difficilimè pelli, ex eo conſtat, quòd inteſtinorum internæ tunicæ nonnunquam firmiter adhæreat, eorumque anfractuoſis ductibus ſuâ longitudine implicetur, ſicq; non niſi benè præparatus cum fortibus medicamentis expelli queat: & quamvis per ſe ægrotum non occidat, tamen tractu temporis ægri vires atterit, dum optimum ſuccum ei defraudat, & œconomiam naturalem deſtruit, unde Hippocrates laborantem lumbrico lato, ubi debilis factus fuerit, vix revaleſcere verè pronunciavit.

97. Aſcarides inter vermes ventris tutiſſimi ſunt, animalia quippè exigua & tenuia, inq; loco maximè ignobili, inteſtino recto, latitantia; unde expelli cum fecibus promptè poſſunt, & medicamentis expugnari: nonnunquam tamen Aſcarides in femora nateſq; quoquo verſum erepſiſſe, & partes dictas exulceràſſe (a) Gorræus & Fernelius (b) annotârunt.

(a) *in definit. Med.* (b) *lib. 6. Pathol. c. 10.*

 98. De

98. De Dracunculis & Crinonibus hæc reperiuntur prognoſtica, quòd etſi periculoſi exiſtunt, ab initio tamen, ſi abſit exulceratio, & ſudores facilè fluant, curationem methodicam, inprimis verò ſpecificam non difficulter admittant: ſi verò negligantur, Dracunculos, ſcribunt, Gangrænam & Sphacelum ſæpenumerò excitare; Crinones verò infantulos in eam Atrophiam & Maciem inducere tradit [a] Reuſnerus, ut cunctâ deperditâ carne vix oſſibus hæreant, cum tantâ artuum titubatione, ut ne quidem pedibus inniti poſſint, & tunc affectum illum vocari **der alte Vater.**

(a) *exercit. 1. de ſcorbuto.*

Curatio Vermium. 99. Curatio vermium Diætâ, Pharmaciâ & Chirurgiâ abſolvitur: Diæta in ſex rerum non naturalium debitâ adminiſtratione conſiſtit, & talis inſtituenda eſt, ut corpus à vermium generatione præſervetur, & proventus ac copia excrementorum præcidatur ac inhibeatur.

Diæta. 100. Aër itaque temperatus ſit, & ad calidum ac ſiccum vergat, niſi febris obſtiterit: alimenta ſint εὔχυμα καὶ εὔπεπτα; fugienda verò talia, quæ cruditates ſuggerunt, chylumq; craſſum, viſcoſum ac glutinoſum generant, qualia ſunt pinguia, dulcia, lacticinia, legumina, fructus horarij, quos inter maximè ex moris vermes generari Cardanus [a] prodidit, caſeus, piſces pleriq;, carnes craſſioris ſucci copioſius à pueris ingeſtæ, panis non fermentatus. Commendatur econtrà panis benè coctus, benè fermentatus, cum ſale & cumino vel fœniculo confectus. Convenit caro turturum, gallinarum, columbarum, avicularum, pullorum turdorum, merularum, jus galli veteris, cicerum, caulium, carnis bubulæ. Proſunt ova ſorbilia, ſinapi, naſturtium item, & cochlearia aceto contrita

pro

pro embammate, Cappares & Colymbades ex aceto, & omnia acida.

(a) *Comment. in Hipp. prognoſt. t.* 18.

101. De dulcibus verò adhuc dubium eſt, ſi vermes generent? diſtinguuntur quidem dulcia à Medicis, (a) quòd alia dulcedinem in nimiâ humiditate fundatam habeant, qualia ſunt lac, ceraſa, pruna, & cætera fugacia, quæ facilè putreſcunt; alia verò in majori ſiccitate eandem obtineant, qualia ſunt mel & ſaccharum; quæ tantùm abeſt, ut vermes generent, ut impediant potiùs vermium proventum, cùm ſummè putredini reſiſtant, cùm vi (b) detergendi polleant, cùm facilè in bilem, quæ vermibus inimiciſſima eſſe dicitur, in corpore calido convertantur. *Dulcia an vermes generent?*

(a) *ex Joh. Mattbæo centur. diffic. med. quæſt.* 57. (b) *Sanctor. lib.* 5. *meth. vitand. error. c.* 11.

102. Verùm licet hæc omnia videantur probabilia: negari tamen non poteſt, & mel & ſaccharum ad vermium generationem non parum facere. Utut enim illa ſenibus & frigidis naturis alimentum medicamentoſum eſſe concedatur, in quibus, dum perfectè ac laudabiliter concoquuntur, præter nutritionem ſatis bonam, & putredini reſiſtunt, & detergent: tamen cùm in calidioribus naturis, præſertim copioſiùs ingeſta, corrumpantur potiùs, quàm ut in alimentum faceſſant, idcircò nec illas facultates remanere veriſimile eſt, ſed potiùs inquinari ac corrumpi ita quod ſupereſt ſucci alimentarij & laudabilis, adeoq; putredini vermiumq; generationi totam maſſam fieri obnoxiam: adhæc cùm vermes jam geniti ſectari dulcia, iisdemq; optimè nutriri atq; ſaginari ſoleant, nec ob hanc rationem videntur mel & ſaccharum ſatis tutò exhiberi.

103. Quòd ſi febris conjuncta ſit, probantur cibi

 para-

parati ex hordeo & ptiſana, decocta foliorum oxalidis, portulacæ, ſonchi, endiviæ, graminis, ſenecionis, &c. cum jure bubulo aut gallinaceo præparata. Conveniunt fructus acidi, ut poma aurantia, granata, citria, ceraſa acida, pruna acerba; & in juſculis ex gallorum carnibus contuſis, ſuccus limonum, citri, Aurantiorum, granatorum, acetum item roſaceum, ſpiritꝰ victrioli, ſalis, nitri, &c. Si alvi profluvium ſimul adfuerit, deſtructâ nimirum œconomiâ naturali, ciboq; non benè diſtributo, admiſceantur aſtringentia, qualia ſunt, acida prædicta, ſuccus item ribium, berberum, roſarum rubearum, vino rubro oligophoro permixtus; Rhoe obſoniorum, &c.

104. In quantitate & cibandi modo hæc ſervetur ratio, ut non confertim plura eaq; varia alimenta ſimul ingerantur, nec inedia etiam diuturnior toleretur, ſed parciùs crebriùsq; cibetur. Quemadmodum enim priori modo per collectionem excrementorum generationi vermium anſa præbetur, ita poſteriori vermes irritantur, ut præ fame diſcurrant in inteſtinis, eaque arrodere incipiant.

105. Potus ſit cereviſia benè cocta, benè defœcata, decoctum item raſuræ cornu cervi cum aquâ Cinamomi aromatiſata, vinum conceditur Rhenanum optimum vetus, niſi febris, aut ætas ægri contradicat: Commendatur cereviſia, & vinum abſynthites, quòd non tantùm abſtergendi, ventriculumq; roborandi, ſed & vermes enecandi vi polleat.

106. Exercitium corporis à Rhaſi (c) vehemens commendatur, quo multos à lumbricis & præſervatos & curatos viderit. Vitetur tamen tale poſt paſtum, quemadmodum etiam ſomnus: alvus quotidiè reſpondeat, ſi non à natura, ſaltem medicamentorum ἐκκοπρωτικῶν, aut Clyſterum

ſterum vel glandium ope; excrementorum enim retentio vermium generationem promovet: Venus ne nimia ſit, nec poſt paſtum ſtatim, & affectus animi moderato rectæ rationis regimine coërceantur.

(a) *11. continent.*

107. Pharmacia & Chirurgia vermium pro variis ipſorum differentiis etiam variat, nec utraque ſemper in omnibus ſpeciebus locum habet, ideoq; de ſingulorum vermium curatione in homine brevibus agendum eſt.

108. Vermes in capite ſi adeſſe conjiciantur, id quod præter ſigna ſuperiùs allata fœtor è naribus exhalans, ſternutatio & vertigo frequens indicabunt, vel vivi exturbandi ſunt, vel mortui. Præmiſſis itaque univerſalibus, adhibenda ſunt ἔῤῥινα vermibus adverſantia, ex ſucco Raphani foliorum perſicorum, Abrotani, abſynthii, &c. loco etiam dolenti emplaſtra applicanda, qualia inferiùs deſcribentur. Quod ſi medicamentis ejusmodi dolor non mitigetur, & vermis expellatur, ad Chirurgiam confugiendum eſt, & Trepanatio in parte dolente inſtituenda, cujusmodi feliciſſimum eventum Foreſtus (a) annotavit. *Vermes in capite.*

(a) *lib. 9. Schol. obſerv. 2.*

109. Qui in naribus vermes deprehenduntur, & interdum per majorem oculi canthum erepunt, ut ex Amato (a) Luſitano conſtat, generantur plerumque non minùs, quàm illi, qui ſub lingua oriuntur ex purulenta materia, in abſceſſibus ibidem factis diu retenta; unde ejusdem curationis ſcopi, qui in ulcerum talium expurgatione notantur, hîc quoq; attendendi ſunt, admixtis ſimul talibus medicamentis, quæ vermium generationi reſiſtunt. *In naribus.*

(a) *Centur. 7. curat. 63.*

110. Aurium vermes necantur ſucco abſynthij, centaurij *In auribus.*

taurij minoris, cucumeris aſinini, ſambuci, cannabis, &c. Commendatur etiam ſulphuris fumus per infundibulum exceptus, ad quem modum etiam Myrrham electam uſurpatam vermem eduxiſſe Schenckius (a) prodidit. Quidam (b) commendant oleum philoſophorum guttatim inſtillatum, vel oleum coryli cum pauxillo Mercurij dulcis mixtum ſequenti formâ. ℞. pingued. caponis ℥ ß ol. coryli gutt. XV. ☿. dulcis gr. iiij. M.

(a) *lib. 1. obſerv. med.* (b) *Sennert. lib. 1. prax. part. 3. ſect. 3. c. 4.*

In dentibus. 111. Dentium vermes quidam hyoſcyami albi ſemine necari poſſe tradiderunt, ſi fumus ejus dentibus exciperetur, & inde ajunt manifeſtè vermes excidere: quod tamen fabuloſum eſſe, & reverà incenſo ſemine hoc ubiq; vermiculos tales evolantes conſpici (a) Hollerius docuit. Eneçantur hi amaris rebus: decocto centaurij, colocynthidos, alöe, myrrhâ, ſemine cæpæ, porri, cornu cervi, pulvere contra vermes, &c.

(a) *perioche 5. ad lib. 5. Gal. de comp. med.*

In pulmonibus. 112. Pulmonum vermes cùm nullum aliud ferè ſignum habeant, quàm tuſſim validam & fortem, cujus Avenzoar (a) meminit, nec alias etiam ferè præbebunt indicationes: quôd ſi verò de illis ſuſpicio quædam injiciatur, admiſceri expectorantibus poſſunt, quæ vermibus reſiſtere mox dicentur medicamenta. *In mammillis* In mammillarum etiam ulceribus, ſi aliquando vermes deprehenduntur, tollendi ſunt, ut de aurium vermiculis dictum eſt.

(a) *lib. 1. tractat. 11. c. 3.*

Circa cor. 113. Vermes circa cor generatos ſucco allii, raphani & naſturtii feliciter curari Johannes (a) Stockerus comprobat. Pedemontanus (b) ſequentem pulverem commendat: ℞. rad. gent. pæoniæ longæ an. ʒ ij. myrrhæ ʒ j. Tanaceti ʒ ij. Miſce & hujus pulveris quantum duobus digitis

tis comprehendi poteſt cum pauca aqua ſubige, ita ut madefiat, deinde os aut labra ægrotantis eodem inunge.

(a) *Gabelchoverus Centur. 3. curat. 1.* (b) *lib. 1. ſecret.*

114. Vermes uteri moriuntur & exeunt, ſi ſemen aut folia viticis cum felle bubulo permiſceantur, oleoq; cedrino ſubigantur & lanâ ſuccidâ excepta in uterum immittantur, alteroq; die uterus calidâ aquâ lavetur & allium coctum crudumvè comedatur, ex Hippocrate (a). Conducunt Clyſteres (b) in uterum infuſi pituitam abſtergentes, qui conficiuntur ex aqua & alumine cum abſynthii aut abrotani ſucco, vel decocto menthæ, calaminthæ, dictamni & pulegii cum melle, vel ex aqua lupinorum cum hyſſopo mercuriali, abſynthio & melle. *In utero.*

(a) *2. de morb. mulier.* (b) *ex Mercato lib. 2. de virg. & viduar. aff. c. 28.*

115. Lumbricorum teretum curatio triplicem medicamentorum claſſem requirit: interficientium, allicientium, & expurgantium. Interficientia ſunt vel calida vel frigida. Calida ſunt abſynthium vulgare, & ſantonicum, cujus ſemina ſaccharo incruſtata vulgaris uſus ſunt; Centaurium minus, abrotanum, ruta, naſturtium, ſtœchas citrina, hyſſopus, thymus, ſcordium, lupini amari, praſium, coſtus amarus, dictamnus, perſicaria, heliotrop. minus, mentha, Gentiana, pulegium, cortices & ſemina citri, ſemen coriandri, filix, ariſtolochia rotunda, Cyminum, allium, radix helenii, braſſicæ ſemen, ſabina, nuclei ceraſorum perſicorum, amygdalæ amaræ, myrrha, ſemen zedoariæ, ſuccus verbenæ, raphani & naſturtii, terebinthina &c. quin & oleo non tantùm vermes, ſed omnia inſecta interfici Ariſtoteles (a) docet, & vinum (b) quoq; vermibus adverſari Autores tradiderunt. *Lumbrici teretes.*

(a) *8. de hiſt. anim. c. 27.* (b) *Ranchinus loc. citat.*

116. Frigida lumbricos enecantia ſunt acetum, ſuccus

citri,

citri,limonum,ſpirit.vitriol. ſalis,ſulphuris, nitri, oxylaphatum,acetoſa,portulaca,plantago,cornu cervinum,raſura eboris,vermes terreni uſti &c: Recentiores lumbricos teretes excretos,& in tegula ignita torrefactos, contra vermes commendant:viderint tamen illi, quid Tabernæmontano(a)reſpondeant,qui, adducto circumforanei cujusdam exemplo,ex aſſumptione fœdi hujus medicamenti citiſſimè potiùs generari,quàm excludi lumbricos aſſeverat. Commendatur etiam Aſtroites ſeu lapis ſtellaris contra vermes,usque adeò,ut ſi geſtatus nudum corpus attingat,vermium generationem impedire perhibeatur.

(a) *lib. 1. herbar. c. 5.* (b) *Boëtius de Boodt de lapid. & gemm. lib. 2. cap.147.*

117. Allicientia vermes ſunt alimenta talia,quibus vermes delectantur,ut ſaccharum,mel, lac, butyrum, ſapa,adipes & medullæ acrimoniæ expertes. Expurgantia vermes ſunt,quæ vel lubricando hoc præſtant,qualia ſunt lenientia & ἐκκοπρωτικά, ut manna, aloe &c: vel ſelectivè purgantia,tàm mitia,quàm fortiora,ut fol. ſennæ, rhabarbarum, Agaricus, rad.chelapu, carthamus, ſcammonium, colocynthis,helleborus niger,cucumer ſylveſtris,turbith & mercurius, qui ob ſpecificam quandam facultatem,quâ omnis generis lumbricos expellere ſcribitur,(a)tantoperè etiam extollitur. Inter compoſita commendatur hiera picra,Logadii,pilulæ aleophang. hier.c. agarico, ſpec. diaturb.c.rhab.diacartham. elect.de ſuc.roſar.&c.

(a) *ſect. 18. epiſtol, Greg.Horſtii.*

118. Ex hiſce igitur ſimplicibus medicamentis variæ poſſunt compoſitiones ſub variis formis concinnari, & ægrotis verminantibus exhiberi, non neglectis tamen ſequentibus cautelis: 1. benè examinanda eſſe ſigna diagnoſtica,ut certò priùs conſtet,adeſſe lumbricos; aliàs verô, ne febris accendatur,â vehementioribus medicamentis

eſſe

eſſe abſtinendũ,& mitioribus potiùs acquieſcendum: 2. Si alii affectus complicētur, & urgentiores ſint, illorum rationem ante omnia eſſe habendam: e. g. ſi febris adſit, medicamentis frigidis vermes oppugnantibus utendum: ſi malignitas præſumatur, raſura cornu cervi & eboris, confectio item de hyacyntho, lapis bezoar, bezoarticum minerale & alia uſurpanda; ſi fluxus alvi concurrat, adſtringentia exhibenda, ut roſæ, maſtiche, cortex radicis mori, myrthus, ſumach, plantago, &c. 3. puerilis ætatis ac temperamenti rationem inprimis habendam, ne vehementiora medicamenta præſcribantur, quæ corpus inflamment ac febres excitent. 4. Medicamenta dulcia, omiſſis tamen oleis, potiùs per clyſteres injicienda eſſe, ſuperiùs verò amara, vermesq; enecantia propinanda, ut, dum hæc vermes fugiunt & illa ſectantur, ex inteſtinis ſuperioribus ad inferiora deturbari commodiùsq; excludi poſſint; niſi forſan amara dulcibus commixta exhibere libeat, ut à dulcedine allecti lumbrici medicamentum deguſtent, & ſic interficiantur. 5. remedia interna per os aſſumenda eſſe jejuno ventriculo, ne minuatur eorum vis, aut cum alimentis extinguatur. 6. Vermes interfectos quamprimùm expelli oportere, ne vitioſæ exhalationes ex ipſorum putredine graviora mala inducant. 7. ſi lumbricos ex ventriculo per ſuperiora extrudi poſſe ſperari queat, in ore favum mellis tenendum ac ſenſim deglutiendum eſſe, ut à dulcedine allecti os conſcendant.

119. Extrinſecus Emplaſtra ad epigaſtrium & umbilicum apponi convenit ex abſynthio, galla, farina lupinorum, felle tauri, aliorumve animalium, aloë hepatica, pulpa colocynthidis, oleo Philoſophorum, amygdalarum amararum, ſucco centaurij minoris, ung. de artha-

 nitâ,

nitâ,&c. ut lumbrici & enecentur, &, ne ad ventriculum aſcendant, prohibeantur.

Lumbricus latus. 120. Lumbrici lati curatio duobus capitibus abſolvitur, ut ſcilicet, juxta præceptum Hippocratis, primùm præparetur; deinde expellatur. Si enim priùs benè præparatus fuerit, totus rotundus factus ad pilæ figuram exire dicitur ab Hippocrate (*a*). Appellant (*b*) autem præparationem, eam diſpoſitionem, quæ vermi infertur medicamentis, ad faciliorem excluſionem, & fit, cùm vel occiditur prorſus, vel ita viribus orbatur, ut reddatur tanquam ſemimortuus, & in ventre ſe ita componat, ut totus in globum circumvolutus nulli inteſtinorum parti aliquâ ſui corporis particulâ adhæreat.

(a) *lib. 4. de morbis.* (b) *ex Spigelio c. 17. de lumbr. lat.*

121. Medicamenta enecantia hunc vermem, etſi ferè illa omnia ſint, quæ ſuprà enarravimus de lumbrico terete: tamen notandum eſt, ex Gal. (*a*), fortiora ſemper hîc requiri: inter quæ inprimis commendatur filix, tàm mas, quàm fœmina; cortex item radicis arboris mori, quæ leni ſuâ amaritudine latum lumbricum interficit, purgatoriâ verò facultate, quâ pollet, ipſum expellit; commendatur etiam hîc corallina, verbena, cornu cervi, cardamomum, anchuſa, baccæ lauri, nigella trita, theriaca, mithridatium, triphera perſica, & aqua nucum viridium, vel ſequens Antidotus lumbricaria Spigelij: ℞. foliorum corallinæ, verbenæ, ſcordij, pulegij, origani an. m. ß. rad. dictamni albi, filicis, angelicæ, gentianæ an. ʒ ij. cort. rad. arboris mori ʒ j ß. ſeminis ſinapi, cardamomi, naſturtij an. ʒ j. piperis ℥ ß. croci ℈ ß. Fiat omnium pulvis, & cum melle deſpumato commiſceantur in formâ opiatæ, addito olei victrioli ſcrupulo ſemis.

(a) *14. meth. med. cap. ultimo.*

122. Sunt

ſolum reſervatum eſt, & adhuc monſtratur, quantitate lentis minoris, formâ ferè majoris muſcæ, duriuſculum tamen, & juxta utrumq; oculum proboſcide ſatis conſpicuâ ornatum: Verme hoc excluſo omnia ſtatim ſymptomata remiſerunt, & infans pleniſsimè convaluit. Deſcribitur vermis hujus hiſtoria, unde etiam deſumta eſt curatio, in libro quodam ([a]) experimentorum Medicorum, & vocatur ibi **der Hertzwurm / Veixwurm / oder Nabelwurm** / ab aliis ([b]) nominatur **der Geitzwurm.**

(a) Im Fürſtlichen Anhaltiſchen Artzneybuch *lib.* 5. (b) *Hechſteterus parte* 2. *decad.* 6. *ſchol. obſerv.* 6.

131. Dubitatur autem meritò, ubinam vermis hic delituerit? an in inteſtinis? at quomodo tàm piſciculos iſtos, quàm medicamentum arrodere & abſumere potuit? an in coalitu quatuor vaſorum umbilicaliũ (exterius enim in umbilico nullus tumor fuit conſpicuus)? quomodo verò per inteſtina potuit excerni? Itaq; vel plures fuerunt ejuſmodi vermes, quorum unus tantùm in inteſtinis hærens excretus eſt, reliqui alibi perierunt: vel unus tantùm fuit intra umbilicum; quem dum Natura medicamento ſtimulata excernere voluit, ſibi ipſi invenit vias, in vivo forſan homine tantùm apertas, in mortuo abſtruſas, ſimili ratione, quâ Gaſpar ([a]) Aſellus de lacteis venis prodidit, in corpore vivente conſpicuas eas eſſe, in extinctis autem ſtatim cum ipsâ quaſi animâ penitus evaneſcere, ac obliterari. Meliora docentes libenter attendemus.

(a) *cap.* 9. *tractatus ejuſdem.*

Τῷ Θεῷ δόξα.

Ad Præſtantiſſimum ac Literatiſſimum

Dn. RESPONDENTEM.

Quas Tibi Phœbéas non-una Academia pridem
Conceſſit, MICHAEL, Σύντροφε Noſter, opes;
Has modò publicitùs magnâ cum laude Lycéo
Geſtit mens animi promere Lipſiaco.
Conatus meritò quî non Tibi gratuler iſtos?
Gratulor, & ſtudiis do mea puncta tuis.
Tu modò Phœbéas ſollers augeto ſubinde
Conceſſas, MICHAEL, Σύντροφε Noſter, opes.
Tempus erit, quando ſibi Patria *poſtulet iſtas,*
Te vocet, eximio conſtituatq; loco.

Præſes.

FINIS.